



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quid servandum est hodie in Interdicto Generali locali. Caput I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

docet Gi-
balcum a-
lis de Cen-
disquis. 5.
2. 2. 5.

3. Dixi (à persona particulari) Nam, ut incur-
ratur Suspendio ab Universitate, erit distinguen-
dum. Si enim Suspendio feratur distributive
contra singulos de Universitate, de Capitulo,
de Collegio, &c. requiritur culpa in singulis,
quia tunc est Suspendio fulminata contra perso-
nas particulares, licet multas. Si vero feratur
collective contra omnes, ut sunt partes, seu
membra ejusdem Communitatis, non requiri-
tur culpa in singulis, tunc enim Suspendio sic
lata afficiet omnes de Communitate, ut sunt e-
jus partes, cum ergo omnes sint partes, omnes
afficiet Suspendio; quia, quando major pars
Communitatis delinquit, judicatur delinquere
tota Communitas, quare tota erit suspensa, et-
iam minor pars, licet ea non deliquerit. Nec est
inconveniens: quod hi pauciores amittant jus
acquisitum præstandi actiones solitas exerceri
à Communitate, quia non amittunt per se, sed
per accidens, siquidem Communitas, quando
est suspensa ab aliquibus actionibus, perinde
est, ac si nulla Communitas esset in ordine ad a-
ctiones illas. Communitate ergo, quasi defici-
ente, quid mirum, si ejus partes, sive culpantes,
sive non culpantes, etiam ipsæ deficiant? Ut e-
jus partes, inquam, nam, ut sunt personæ priva-
tæ nihil tunc amittunt.

4. Inquires. Si quæ Communitas peccaverit
quidem, faciendo contra præceptum prohibens
aliquid sub pœna Suspendionis ipso facto incur-
rendæ, sed nesciverit illi peccato esse affixam
Suspendionem, illamne incurret?

5. Respondeo. Incurrere, probabiliter putat
Lezzana, quia Pontifex non utitur, inquit, in
his similibus prohibitionibus sub pœna Suspendio-
nis verbo (presumere) quare tunc illa Suspendio
incurri debet, tamen non adfit dolus, &
presumptio, satis enim erit, si adfit peccatum.

6. Verum probabile etiam est, non incur-
re, quia est probabile ad illam incurrendam re-
quiri sententiam talis pœnæ, seu censuræ; nam,
si est pura pœna, alibi dictum à nobis est, re-
quiri ejus cognitionem, ut incurratur, si vero est
censura, erit medicina, quæ etiam à cognosci
debet, quia, nisi medicinam cognoscam, medi-
cinam mihi applicare non possum.

7. Inquires iterum, Qui metu gravis mali ca-
dentis in vitium constantem eas actiones faciat,
quibus annexus est incurfus in Suspendionem,
illamne incurret?

Respondeo, illam non incurere, ut ex supra-
dictis patet, qui locus est à te recolendus pro-
pter hoc, aliaque multa ibidem la-
tius pertractata.

Finis Tractatus Secundi de Suspendione.

TRACTATUS TERTIVS. SELECTA

DE

INTERDICTO.

CAPUT PRIMUM.

Quid servandum est hodie in Interdi-
cto locali Generali.

§. I.

Præmittitur breviter, quid sit interdictum.

INTERDICTUM Ecclesiasticum absolu-
tè, & sine limitatione latum, est regulariter

Censura, qua Fidelibus vetantur, Primo, Officia
Divina celebrare,

Secundo, aliqua Sacramenta ministrare, vel
suscipere, puta Eucharistiam (nisi in mortis ar-
ticulo) Extremam-Unionem (nisi forè in eo-
dem articulo, quando quis non potuit de pro-
ximo suscipere Sacramentum Pœnitentiæ) &
Ordinem Nam Baptismus, Confirmatio, Pœni-
tentia, & satis probabiliter Matrimonium non
vetantur, ut distinctius videre omnino debes a-
pud Doctores passim, Ter-

Tertio vetatur, Ecclesiasticam sepulturam Defunctis exhibere.

Hoc vocatur, & est Interdictum integrum: nam ceterum ipsum potest ab imponente limitari ad aliquos effectus tantum, quia hi tres effectus Interdicti non sunt ita in jure connexi, sicuti sunt effectus excommunicationis, quos dividere non potest quilibet Prælati, sed Pontifex summus dumtaxat.

2. Dicitur autem est primo, (est *Censura*) in quo convenit cum excommunicatione & suspensione. *Censura* autem est poena medicinalis, quæ solum infligitur, ut quis à contumacia recedat.

3. Dicitur tamen est secundo (*regulariter*) Nam, sicuti *Suspensio* potest ferri, & ut *Censura* & ut mera poena, in vindictam peccati commissi ita, & Interdictum. Verum, quia valde raro, ne dicam, nunquam, Interdictum imponi solet, ut mera poena, ideo addidimus illud *regulariter est Censura*.

4. Regula autem dignoscendi utrum *Censura* sit, utrum mera poena, eadem profus est, quæ in Suspensione, quamq; diximus in tract. præc. c. 1.

§. II.

Pramittitur breviter, quod duplex sit Interdictum.

1. **T**riplex profecto est, Personale, Locale, Mistum. Personale est illud, quo ipsa Persona prædictis prohibitionibus afficitur. Is ergo qui sic personaliter est Interdictus, feret secum impositas prohibitiones, in quemcumq; locum pervenerit, quamvis nullo Interdicto subiectu.

2. Locale est illud, quo locus aliquis prædictis prohibitionibus astringitur: hoc est, quo in ejusmodi loco vetantur Fideles illas actiones prohibitas exhibere. In hoc ergo Interdicto, personæ fidelium non immediate, ratione sui, sed mediâ, puta ratione loci, ab illis actionibus arcebuntur. Nam propterea, si Personæ egrediantur ab illo loco, poterunt libere se gerere, &c.

3. Mistum est, quo tum Personæ, tum locus prohibentur, &c.

4. Porro subdividuntur deinde eadē Interdicta, ut Aliud sit personale generale, aliud personale speciale, seu particulare. Et rursus, aliud sit locale generale, aliud locale particulare.

5. Personale generale est, quando interdicuntur Populus (qui in hac materia comprehendit etiam habitantes in Suburbis) Universitas, Capi-

tulum, Collegium, nempe communitas quælibet, faciēs unum corpus morale, seu politicum.

6. Personale speciale est, quando interdicuntur hic, vel ille, etiamsi sint plures, sic, Ille, & ille, & ille, &c. vel sic, *Interdicuntur omnes, qui tale sacrilegium commiserunt*: quo pacto non interdicuntur, ut partes Communitatis, sed singuli, ut personæ particulares.

7. Locale generale est illud, quo interdicuntur locus, qui à Communitate incolitur, v.g. Provincia, Civitas, Villa, &c. Undè tunc interdicuntur omnia, & singula loca, ut partes sunt Communitatis. Comprehenduntur etiâ a Suburbia, Civitate interdicta, etiam alterius domini, etiam Ecclesiæ Regularium exemptorum, quia secus suo rigore frustraretur Interdictum.

8. Locale particulare est illud, quo interdicuntur locus particularis, vel loca particularia, hæc illa, & illa, &c. quæ sunt in aliqua Provincia, Civitate, Villa, &c. non quidem, ut partes Communitatis, in qua sunt, sed, ut particulares Ecclesiæ.

His in memoriam redactis, ut respondeam quæstioni in titulo hujus capituli propositæ, sequentem §. instituo.

§. III.

Quidnam mitigaverit Bonifacius VIII. in Interdicto locali generali.

1. **I**ltre antiquo concedebatur. Primo, Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum, tempore Interdicti, semel in hebdomada Missam celebrare, pro conficienda Eucharistia, quæ asservari pro infirmis consuevit.

2. Secundo, Clericis concedebatur posse legere Horas Canonicas sine cantu, idque non à pluribus, quam tribus simul.

3. Tertio, concedebatur solum Pœnitentia, & Viaticum morituris.

4. Quarto, concedebatur, ut Clerici qui non essent specialiter Interdicti, & Interdictu generale servaverint, possent in Cæmeterio sepeliri.

Concessio prima celebrandi privatum officia.

5. At jure novo Bonifacius VIII. amplians prædicta, concedit Primo, ut tempore generalis Interdicti & localis (quare, non in locali speciali, nec in ullo Personali, ut constat ex contextu

a C. Si Civit. de sct. excom. in 6
b Trid. ses. 25. c. 12. de Refor.

c C. Permittimus de sent. excomm. C. Quod in te de Pœnitent. & remiss.

d Cap. Almamater de sent. excomm. in 6. e Lessana V. Interd.

n. 16. iun-
Honu. 22.
a G. Hurt.
de Interd.
diff. 7. n. 19

textu dicti *Cap. Alma Mater*, & ex intentione Pontificis, atque ex ipsa praxi) concedit, inquam, ut Ministri Ecclesie (atque adeo Religiosi & non Interdicti personaliter) licite valeant, quotidie Missas, & alia Divina Officia celebrare (non autem in Oratoriis privatis, quamvis alias approbatis ad sacrificium) ac si nullum adesset Interdictum, cum sequentibus tamen conditionibus Prima, ut id fiat Januis Iusis. Secunda, ut submissa voce, quo scilicet audiri moraliter nequeant. Tertia, ut non pulsentur Campanæ. Intellige, ad convocandum populum: nam cæterum poterunt eæ pulsari ad convocandum ad Concionem, ad Salutationem Angelicam recitandam, ad diei horas designandis. Ad elevationem autem Sacræ Eucharistiæ in Missa, aliqui b negant, concedunt e aliqui, quod posterius probabilius est, quia tunc non pulsatur Campanula, ad convocandum populum, sed ad eos monendos, qui sunt in Ecclesia, de reverentia exhibenda. Quarta, ut excludantur excommunicati, & interdicti personaliter.

b Lessana
V. Interd.
num. 26.
c G. Hurt.
de Interd.
diff. 7. n. 20

Hæc concessio facta solum à Bonifacio est prædictis Ecclesie Ministris; nam cæteri omnes non solum, qui dederunt causam Interdicto (hi enim semper in iure habentur ut interdicti personaliter, ac specialiter) verum etiam illi e qui habitant in illa Civitate, seu loco interdicto quia, secus nullum seire esset interdictum ejusmodi, si prædicti omnes possent admitti ad officia, quamvis privatim celebranda.

d C. ultim.
de verb.
signif. in 6.
e G. Hurt.
s. nu. 21.

6. Ex eo, quod Bonifacius concedit Clericis, atque adeo Religiosis modo dicto Divina Officia celebrare, colligit Hurriodus, se concedi, posse eos tempore interdicti localis generalis cum iisdem conditionibus, sepeliri in Ecclesia, quod est plus quam sepeliri in Cæmeterio, quod poterant jure antiquo, ut diximus num. 4.

f G. Hurt.
de Interd.
diff. 9. n. 29
Bonac. de
Interd. d. 5.
p. 5. nu. 13.

Concessio secunda celebrandi publice in quibusdam Festis.

7. Concedit Secundo, in dicto Interdicto generali locali Bonifacius, ut in diebus festis Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes (& quidem ex probabilissima sententia, tum in primo, tum in sequentibus duobus, atque in Natali Domini in tribus sequentibus, quia ii certe pertinent ad eandem solennitatem) & in Festis Assumptionis Sanctissimæ Virginis, festoq; Corporis Christi cum tota octava, hoc ultimum concessit Martinus V. & Eugenius IV.) conce-

dit inquam, ut Divina Officia etiam publice celebrentur, ac si Interdictum nullum locale adesset, exclusis tamen excommunicatis, sed ipsis Interdictis admittis, sub ea lege, ut qui causam Interdicto dederunt non appropinquent ad altare.

8. Nota autem hic primo, Festivitates ejusmodi incipere à primis Vesperis, ac finiri in Completorio inclusivè, ad Festum enim, etiam pertinet Completorium.

9. Nota secundo, iis, qui causam Interdicto dederunt, quia censentur Interdicti personaliter non concedi in prædictis solennitatibus Communionem, sed posse solum Missas, ac Divinis officiis interesse, hi enim remonentur ab altari.

10. Nota tertio, discrepare Doctores; an illis, qui Interdicto locali causam non dederunt, concedatur in diebus prædictis Communio, aliis a negantibus, concedentibus b alius. Mihi videtur utrumque; esse probabile, quia illa verba Bonifacii Interdicti, qui non dederunt causam admittantur in hæc Festis, ad participationem Divinorum, significare possunt, iis concedi Communionem; id enim videtur sonare illud Participatio Divinorum, sed, quia sonare etiam possunt Divinorum Officiorum consortium, dumtaxat externum, ideo quam magis sententiam liberè amplecti, integrum erit tibi.

11. Non solum in his Festis, verum etiam aliis quibuscumque diebus, consueto comitatu, tempore Interdicti, deferendam esse Communionem ad infirmos, dixi in *Opusculo de Comm.* cap. 6. §. 7.

12. Nota quarto, dubitari à Doctoribus, an tempore prædictarum Festivitarum concedatur Interdictis sepeliri cum omnibus solennitatibus in loco sacro, perinde, ac Interdictum non adesset. Conceditur per aliquos, quia, si Bonifacius concedit principale, id est Divina Officia celebrare, concedit & accessorium, nimirum Sepulturam Ecclesiasticam, quæ accessoriam est ad Officium Defunctorum. Confirmant, quia ex Sacro d' Textu. *Quibus communicamus vi vivis, possimus communicare, & mortuis*: at illis diebus communicamus vivis, ergo, & mortuis, eos sepeliendo, Negatur per aliquos, e quia nolunt Sepulturam connumerare inter Divina Officia, quæ solum tunc conceduntur. Utrumque probabile.

Concessio Tertia tradendi omnibus Sacramentum Pœnitentiæ.

13. Concedit tertio, Bonifacius, ut in memorato Interdicto locali generali possit omnibus, sive

a G. Hurt.
e. diff. 7.
c. nu. 21.
b Suar. d.
33. de Cen.
ser. 1. n. 36.
Contra d.
pud cit.
Hurt.

c Syl. d.
37. Nav.
Suar. H.
rig. ap. Bo.
nac. de In-
terd. d. 5. p.
5. n. 7.
d C. Sac.
diff. 2. q. 4
e Suar. d.
vita Co-
ntra. Fd.
luc. P. q.
ap. Erast.
Lc.

sive sanè, sive malè valentibus, ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, exceptis excommunicatis, & iis, qui dederunt causam Interdicto; cum ex jure antiquo, ut vidimus, solum concederetur id morituris.

14. Nota tamen primo, Excommunicatis, iisq; qui dederunt causam Interdicto concedi Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis, sed, si delicto satisfaciunt, vel sufficientem dabant cautionem de satisfaciendo, vel si neutrum ex his possint, si jurent, quam primum satisfacturos, vel facturos quantum possunt, ut satisfactio à Delinquentibus exhibeatur.

15. Nota secundo, illum esse tempore Interdicti Confessarium, & posse licitè absolvere, qui alias habet jurisdictionem, & approbationem legitimam, sed non est Interdictus personaliter, si enim personaliter esset interdictus, illicite se gereret, peccaretque graviter, violando interdictum quo afficitur: Quod si esset interdictus generaliter solum licitè posset, si causam non dedit interdicto. Excipiendus semper est casus urgentis necessitatis, eo modo, quo in Superioribus & dictum est latè.

CAPUT II.

Quid indulserit Concilium Constantiense in Interdicto.

I. IN Tractatibus superioribus sæpe dictum est, Conciliū Constantiense, seu Martinum V. concessisse, ut cum Fidelibus quacunq; Censura legatis (nisi nominati fuerint, publicèq; denuntiati, vel publici Clericorum Percussores) possemus communicare in divinis, & humanis eo modo, quo in Tractatu de Excommunicatione explicari solet. Quoniam igitur Interdictum Censura est, quid ipsi indulgeat in hac communicatione Martinus, videndum est.

Et quidem, ex vi Interdicti, tres communicationes tantum prohibentur ex jure. Primo enim, Interdicti non possunt licitè à Fidelibus sepeliri in loco sacro. Secundo, Clerici non possunt licitè coram dictis Interdictis Divina Officia celebrare. Tertio, iis, quibus commissa est cura Ecclesiæ non possunt licitè permittere, ut interdictus Divinis Officiis assistat.

3. Querimus ergo, an Martinus V. aliquid in prædictis tribus communicationum generibus

mitigaverit: & mitigasse certum est. Nam Primo, Fideles, sive Clerici, sive Laici possunt hodie sepelire in loco sacro non interdicto eos, qui quamvis interdicti sint, etiam personaliter, non sunt tamen nominati, ac publicè, ut interdicti denuntiati. Immo eosdem, ut dico, non denuntiatos nominatim possumus sepelire in loco sacro interdicto, quamdiu locus non sit nominatim, ac publicè denuntiatus, ut interdictus.

4. Secundo, Clerici licitè possunt celebrare divina coram iisdem etiam personaliter interdictis, quod si (hi se ingerant, ipsi peccabunt, non vero Clerici) possunt, inquam, nisi ii coram quibus, sint nominati, ut interdicti, denuntiati.

5. Tertio, Illi, qui curam habent Ecclesiæ possunt admittere eosdem etiam personaliter interdictos (Quod, si hi se ingerant ipsi peccabunt, non illi) possunt inquam, si pari modo hi admittendi non sint nominatim denuntiati, ut interdicti.

6. Porro illa hic agitari solet difficultas. An Communitate denuntiata publicè, ut interdicta, intelligantur sic denuntiati etiam singuli de Communitate illa, ita, ut singuli, ut interdicti nominatim, sint modo jam dicto vitandi, An solum sint vitandi, ut partes, & membra illius, atque adeo solum in actionibus propriis Communitatis?

7. Respondeo, Etiam singulos putat Suarez, a quia, secus, inutilis esset hæc Denuntiatio; Si enim singuli denuntiati non includantur, nihil, vel parum referet, esse Communitatem denuntiatam.

8. Nequaquam singulos, censet Alterius, b quia, si solum interdicatur Communitas, interdicuntur solum partes, ut partes illius, atq; adeo singuli, non, ut privatæ personæ, sed, ut ad unum corpus politicum pertinentes. Neque tunc erit inutilis Denuntiatio, quia faciet, ut tota Communitas in iis vitanda sit, quæ ipsam tangunt, quamvis non in iis, quæ tangunt particulares personas, quæ, ut sic nullo modo sunt, ut interdictæ, denuntiatae.

9. Video sententiam Suarii esse communiorrem, sed hanc Alterii esse probabilem, & fortasse probabiliorem, etiam video.

Atque hæc pauca satis de Interdicto, cujus rara est praxis, & de quo innumeri Doctores sunt, qui agunt.

a Filline. Suar. Honrig. Sayr. Conincho apud Bonac. de Interd. d. 3. p. 5 nu. 10. eccitans, ac sequens. b Alteri. Navar. a. llyque apud eundem Bonac. S. à in utraque edit. V. interd. n. 3. Simile, quid dicit Giba de ecc. sw. dij. 4. q. 5. n. 8. 10. quæ de Su. spon. Communitatis.

Finis Tractatus Tertii de Interdicto.